



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Titulus XXXVI. De iniuriis, & damno dato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

xandro III. p. 3. de simonia cap. 3. in illis verbis: Pro examinatione ignis, & aqua. Illud tamen notandum duxi, purgationem hanc ferri candentis plerumque inungi feruis, & monachis; quia illi ob conditionem, isti verò ob statum per duellum purgari non poterant. Nec inficiari potest, olim Ecclesiam, etiam in rebus sacratoriibus ignis iudicio usam fuisse, veluti in reliquiis veris agnoscendis. Concilium Cæsar august. 2. can. 3. ibi: Statuit sancta Synodus, ut reliquie, que in quibuscumque locis de Arriana heresi invente fuerint prolate, à sacerdotibus, in quorum Ecclesiis reperiuntur, Pontificibus presentata igne probentur. Quem canonem latè exponunt Baronius anno 596 Ferrandus in disquisit. reliq. lib. 2. p. 3. cap. 1. cum sequent. quo etiam iudicio usus fuit B. Dominicus in disput. cum Albigensibus; & Toleti dum ageretur de recipiendo officio Romano, relicto breviario Mocaraya, ut referunt Baronius anno 1080. num. 72. Iulianus Petri in advers. sub anno 1086. num. 600. & etiam in Hispania mos erat decidendi lites per iuramentum præstitum in Ecclesia Sanctorum Vincentii, Sabinæ, & Christeres: in urbe Abulensi, & in civitate Burgenfi in Ecclesia S. Agathe, ut refert Yepes tom. 1. chron. Divi Benedicti, cent. 1. anno

Christi 555. quod postea prohibitum fuit in l. 67. Tauri. ibi: Ningun juramento. aunque el juez lo mande hazer, ò la parte lo pida, no se haga en san Vicente de Abila, ni en el herrojo de santa Gadea, ni sobre altar, ni cuerpo sancto, ni en otra Iglesia juradera, so pena de diez mill maravedis para la nuestra camara y fisco, al que lo jurare, y al que lo pidiere, ò demandare. Similis consuetudo invaluerat Mediolani, ut constat ex D. August. tom. 2. epist. 137. Multis enim notissima est sanctitas loci, ubi B. Felix Holsensis corpus conditum est, quo volui ut pergerent, quia hinc nobis fascilius, fidelisque scribi potest, quidquid in eorum aliquo divinitus fuerit propositum, nam & nos novimus Mediolani apud memoriam Sanctorum, ubi mirabiliter, & terribiliter demones consistunt, furem quandam, qui ad eum locum venerat, ut falsum jurando deciperet, compulsus fuisse confiteri furtum. Eiusdem officii Romæ vigentis ad sepulchrum Sanctorum Procelli & Martiniani, testis est D. Gregorius homil. 32. in Evarg. & de sepulchro S. Pancratii item Romæ agit Gregorius Turon. de gloria Martyrum cap. 38. Videndus Tamayo à Salazar. tom. 5. mart. tyr. die 27. Octobr.

TITULUS XXXVI.

De iniuriis, & damno dato.

CAPVT I.

^a In Exodo.



Sirixati fuerint homines, & percusserit alter proximum suum lapide, vel pugno, & ille mortuus non fuerit, sed jacuerit in lecto; si surrexerit, & ambulaverit foris super baculum suum, ^b innocens erit qui percusserit; ita tamen, ut opera ejus & impensas in medicos restituat.

NOTÆ.

1. ^a Exodi. Ita etiam legitur in prima collectione, ne, sub tit. de damno dato, cap. 1. & verba hæc reperiuntur in cap. 21. Exodi, vers. 18. & 19. & pro hujus inscriptionis illustratione repetenda sunt quæ adduxi in cap. 1. de adulteris.
2. ^b Innocens. Id est immunis, & liber à poena mortis, quia hoc indicio, quod percussus post acceptam plagam foris ambulaverit, præsumitur mortem ejus non ex percussione, sed aliunde evenisse, ut exponit Cornelius à Lapide in dict. cap. 21. Exodi.

COMMENTARIUM.

3. **L**icet cum homo mortuus est, aut membro mutilatus, poena talio sit, tam ex lege Moysis relata in d. cap. 21. Exodi Genesis cap. 9. vers. 6. quam ex lege duodecim Tabularum, ut auctoritatibus, & exemplis illustrat Beyerlinch verbo Talio, Philippus Camerarius cent. 1. horar. success. cap. 99. Fornerius lib. 2. select. cap. 29. tamen cum vulneratus est, propter damnum acceptum, quia nulla

parte corporis mutilatus est, sed tantum damnum accepit, & quia in lecto jacuit, operas amittit, ac impensas in medicos fecit, tenetur qui damnum dedit tam ad operas, quam ad impensas in medicos factas præstandas. Vlpianus in l. sed & si, in fine, cum sequenti; & l. quæ actione, ff. ad leg. Aquil. ubi proposita quæstione futoris, qui maledicenti puero ingenuo filiofamilias formæ calcei cervicem percussit, ut oculus penè perfunderetur, postquam docuit non aliâ actione futorem teneri, quam Aquilæ legis, subjungit: Quæ actione patrem consequatur, quod minus ex operis filii sui propter vitiatum oculum sit habiturus, & impendia, quæ pro eius curatione fecerit. Et Gajus in l. finali, ff. de his qui dejecerunt, ait: Cum liberi hominis corpus ex eo, quod dejectum, effusumve erit, laesum fuerit, iudex computat mercedes medicis præstas, cæteraque impendia, quæ in curatione facta sunt, præterea operas, quibus caruit, aut cariturus est, ob id quod inutilis est factus. Iustinianus in §. 1. Instit. de obligat. quæ ex quasi delicto, ibi: Ob hominem liberum occisum quinquaginta aureorum poena constituitur; si vero vivat, nocitumque ei esse dicatur, quantum

ob eam rem equum iudici videtur, actio datur. Iudex enim computare debet mercedos medicis prestitas, ceteraque impendia, quae in curatione facta sunt; praeterea operas, quibus caruit, aut cariturus est ob id quod mutulus est factus. Quoad forum internum ita in hoc casu cautum lego in Penitentiali Romano, tit. 4. cap. 19. in haec verba: Qui per rixam icu debilem, vel de formem hominem fecerit, reddat impensas medicas, & medium annum poeniteat: si non habuerit unde

reddat, unum annum poeniteat: & si non habeat, unde reddat, solvat opera proximi sui quamdiu infirmus est, & postea quadraginta dies in pane, & aqua poeniteat. Illustrant Mancinus de triplici juris collat. cap. 81. Petrus Pitheus in collat. legum Masae. tit. 2. Et quomodo opera existimanda sunt, explicant Covar. lib. 3. var. cap. 1. Petrus Gregorius lib. 4. parit. tit. 9. cap. 12. & congesti à Barbosa in praesenti.

CAPVT II.

a Item.

SI quis aperuerit cisternam, & foderit, & non operuerit eam, cecideritque bos, vel asinus in ea, dominus cisternae reddet pretium iumentorum. Quod autem mortuus est, ipsius erit.

NOTÆ.

1. a Item.) Ita etiam legitur in prima collectione, sub dicto tit. de danno dato, cap. 3. id est in eodem capite Exodi, ubi reperitur textus hic, qui summâ ratione nititur; nam ad damnum refarciendum non solum tenetur qui dedit, verum & qui occasionem damni præbuit, l. qui occidit, §. ult. ff. ad leg. Aquil. Praefens tamen sententia accipi debet iuxta distinctionem, quam tradidit Paulus in l. qui foveas 28. ff. ad leg. Aquil. his verbis: Qui foveas urforum, cervorumque capiendorum causâ faciunt, si in iumentis fecerunt, eoque aliquid decidit, factumque

deterius, lege Aquilia obligati sunt: at si in aliis locis, ubi fieri solent, fecerunt, non tenentur. Subjicit etiam Paulus in §. 1. quod si is, qui foveas fecit, prætereunti denunciaverit periculum, & adhuc ausus fuerit transire, ex culpa non tenetur, qui foveas posuit; quia prætereiens suæ temeritati imputare debet, ut in non dissimili casu Calphurnius Flaccus dicebat declamat. 5. ibi: Quantum ausus est, quod nec post denunciationem creditum est. Et statim: Ubi quod futurum est denunciatum, culpa patientis est. Explicant D. Joannes Suarez ad leg. Aquil. lib. 3. cap. 7. sect. 1. num. 9. Mancinus de tripli. juris collat. cap. 84.

CAPVT III.

a Item.

SI bos alienus bovem alterius vulneraverit, & ille mortuus fuerit, vendent bovem vivum, & dividunt pretium; cadaver autem mortuum inter se disperient. Si autem sciebat, quod bos cornupeta esset ab heri, & nudius tertius, & custodivit eum dominus suus, reddet bovem, & cadaver integrum accipiet.

NOTÆ.

2. a Item.) Ita etiam legitur in primâ collectione, sub hoc tit. cap. 4. id est in eodem cap. 21. ubi ita legitur: Si bos alienus bovem alterius vulneraverit, & ille mortuus fuerit, vendent bovem vivum, & dividunt pretium; cadaver autem mortuum inter se disperient; si autem sciebat, quod bos cornupeta esset ab heri, & nudius tertius, & non custodivit eum dominus suus, reddet bovem pro bove, & cadaver integrum accipiet. Hæc lex Mosæica pervenit ad Phenices, unde sumpsit Solon, de quo Plutarchus ait: Scripsit & de pauperie à quadrupedibus data, ubi canem qui aliquem morderit, dedit jubet cubitorum quatuor vinculo alligatum. Ex Solone sumpsit Plato de legibus lib. 11. ubi ait: Ut si jumentum, aut equus, aut canis, aut animal domesticum quadrupes pauperiem fecisset, eodem modo damnum refarciatur, ac si servus dedisset, nempe noxam dedendo, vel restituendo quod alteri abesset, nisi intercessisset dolus. Et Romani ab eo acceperunt: quare Ulpianus in l. 1. ff. si quadrupes pauperiem,

ait: Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur, ex lege 12. Tabularum actio descendit. Quæ lex voluit, aut dari id, quod nocuit id est animal, quod noxam commisit, aut æstimationem noxæ offerre: nam ratio postulat, quod sicut in noxali actione damnato permittitur aut litis æstimationem sustinere, aut ipsum hominem noxæ debere, cum videri posset iniquum servorum nequitias ultra ipsorum corpora dominis esse damnosas, §. 1. Instir. de noxalibus; ita pari ratione de quadrupedibus placuit, dict. l. 1. ff. si quadrupes pauperiem: ad quem titulum spectant textus in l. & eleganter 7. §. 6. ff. de dolo, l. final. ff. de extraordin. crimn. l. Iulianus 9. §. glans, ff. ad exhib. l. ait Prætor 7. §. penult. ff. de danno in se cto, l. si servus 27. §. si servum, l. final. ff. ad leg. Aquil. l. si heres 16. l. electio 26. §. si is, ff. de noxalibus, l. Divus, l. infans, ff. ad leg. Corn. de sicar. l. Pomponius 44. ff. de acquir. domin. Illustrant Mancinus de triplici juris collat. Grotius in floribus ad tit. ff. si quadrupes, Gibalin. de negot. lib. 6. cap. 9. art. 3.

CAPVT IV.

a Item.

SI læserit quispiam agrum, vel vineam, & dimiserit iumentum suum, ut pascatur aliena, quidquid optimum habuerit in agro suo, vel vinea pro damni æstimatione restituet.

NOTÆ.

- I. a Item.) Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 5. & textus hic reperitur in ipso cap. 22. Exodi, ubi legitur: *Si læserit quisquam agrum, vel vineam, & dimiserit iumentum suum, ut pascatur aliena, quidquid optimum habuerit in agro*

suo, vel vinea, pro damni æstimatione restituet. Raymondus autem ut præsentem textum conformem redderet juri Cæsareo, posuit pro damno, æstimationem restituet, juxta legem ultimam, Cod. ad leg. Aquil. quomodo tamen hoc damnum æstimetur, exponit Otero de pascuis cap. 13. per tot.

CAPVT V.

a Item.

SI egressus ignis invenerit spicas, &prehendit acervos frugum, sive stantes segetes in agris, reddet damnum qui ignem succendit.

NOTÆ.

- I. a Item.) Etiam ita legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 6. & reperitur hic textus in cap. 22. Exodi, ubi legitur *spinas, non spicas, ut in præsentem.* Quam lectionem probant Cornelius à Lapide ibi, versu 6. & ita jubet lex hæc, ut si quis negligentia sua igni à se excitato malè advigilarit, nec caverit, ne proserperet, itaque factum sit, ut ignis spinas, quæ segetem sepiebant, atque exinde ipsam segetem corripuerit, teneatur de damno.

lib. 5. sent. tit. de incendiariis, ibi: Fortuita incendia, quæ casu venti succendunt, vel incuria ignem supponentis ad usque vicini agros evadunt, si ex eo segetes, vel vineæ, vel olivæ, vel fructifera arbores concrementur, datum damnum æstimatione sartiatur. Ulpianus lib. 8. de offic. Proconsul apud Pariatorem legum Mosæicæ ibi: *Sed ei, qui non datâ operâ incendium fecerit, plerumque ignoscitur, nisi in lata, & incauta negligentia, vel lascivia fuit.* Paulus lib. singulari de penis, apud eundem Pariatorem, ibi: *Fortuita enim incendia ad forum remittenda sunt, ut damnum vicini sartiatur.* In legibus Wisigoth. in l. ult. tit. 2. lib. 8. ita legitur: *Qui ignem apposuerit spinis, stipulis, & tribulis, ad coquendum cibum, vel frigus arcendum, si ignis longius diffusus alienam messem, domum, vineam incendiderit, non duplum, sed æquum præstare tenetur.* Explicant, & illustrent Sesse tom. 2. decis. 211. Pitheus in collat. legum Mosæicæ tit. 12.

COMMENTARIUM.

2. INCENDIUM committitur dolo, culpâ, aut casu. De incendio dolo, aut culpâ commisso egi in cap. excommunicamus de raptoribus. De incendio casu admisso agitur in præsentem, & jubetur, ut damni æstimatione restituatur. Consonant Paulus

CAPVT VI.

Ex a Pœnitentiali Romano.

SI quis domum, vel aream cujuscunque incenderit voluntariè, sublata, vel incensa omnia restituat, & tres annos pœniteat.

NOTÆ.

- I. a Pœnitentiali.) Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. final. & ex eodem libro citatur textus hic à Burchardo lib. 19. Decre-

ti, cap. 136. Carnot. part. 5. Decreti, cap. 146. & reperitur in ipso Pœnitentiali, tit. 4. cap. 20. De auctoritate hujus libri egi in cap. 3. de furtis: & de pœnis incendiarii in cap. excommunicamus, de raptor.

CAPVT VII.

Honorius III. ^a *Episcopo Bononiensi.*

Olim scribentibus nobis venerabili fratri nostro Episcopo Mutinensi, ut accedens personaliter Florentiam, Potestatem, Conciliarios, & populum civitatis moneret efficaciter, & induceret ad satisfaciendum de damnis, & iniuriis irrogatis venerabili fratri nostro Episcopo, & Ecclesiis^b Fesulanis, & si necesse foret, censuris ecclesiasticis coarctaret: idem Mutinensis mandatum nostrum quoad monitionem diligentius executum, datis induciis, contra testes lite non^c contestata processerat. Quare nos revocato processu Commune Florent. quia^d banniverat eundem Episcopum Fesulanum contra Deum, & Ecclesie libertatem, propter injuriam banni in expensas, & damna tali occasione secuta, taxatione juramento premissio^e in mille libris usualis monetæ prædicto Episcopo Fesulanensi sententialiter duximus condemnandum.

NOTÆ.

^a **H**onorius III. In hac sexta collectione, & in quinta, sub hoc titulo capitulo unico, tantum legitur Bononiensi Episcopo: sed inscriptionem & literam hujus textus restituo ex Vghellio rom. 3. Sicilia sacra, fol. 32. In Fesulana Ecclesia casus hujus textus ita contigit. Ideprandus patriâ Lucensis, consecratus fuit in Episcopum Fesulanum ab honorio III. qui Præful dum suam exordiretur Ecclesie administrationem, à republica Florentina non modo gravibus litibus implicitus, sed propemodum oppressus, Florentinis impellentibus exul excessit. Sed cum ad Honorium Episcopus provocasset, primum ejus causa cognitio Mutinensi Episcopo demandata est, postea novis difficultatibus emergentibus, in præfenti rescripsit idem honorius; & anno undecimo sui Pontificatus alteram scripsit epistolam de hac re Episcopo Florentino, quam ex registro eiusdem Pontificis desumptâ (Grave valde gerimus, & indignum, quod cives Florentini venerab. fratrem nostrum Episcopum Fesulanum in Episcopalis dignitatis injuriam, & Apostolicæ Sedis contemptum exulare compellunt, bonis Episcopii sui, & Ecclesiarum ejusdem, reverentiâ divinâ; & nostrâ postposita occupatis. Et quidem si amor, quem ad civitatem habemus, motum nostri animi non cohiberet, jam fecissemus eos, pœna docente, cognoscere quantum doleremus de gravaminibus, & iniuriis ab eisdem ipsi Episcopo irrogatis. Sed nec tu in iis excusare negligentiam tuam potes, qui cives ipsos, tum pro salute animarum suarum, quarum tibi est sollicitudo commissa, tum pro compassione ipsius Episcopi deberes ab iniuriis hujusmodi refrenasse. Licet igitur causa hujusmodi venerabili fratri nostro Episcopo Faventino, & collegis ejus jam dudum fuerit ab Apostolicâ Sede commissa; quia tamen propter civium ipsorum diffugia nondum est processus habitus in eadem, ipsam ad examen nostrum duximus revocandam: ideoque mandamus tibi, quatenus potestati, Consiliariis, & populo ejusdem civitatis injungas, ut in Kalendis februarii proximis, quas eis terminum peremptorium assignamus, per procuratores idoneos, & sufficientes comparcant coram

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

nobis, eidem Episcopo super invasione, destructione, ac detentione bonorum Episcopii sui, & Ecclesiarum ejus exhibituri, quod ordo poposcerit rationis; aut composituri, si fieri poterit, cum eodem denunciando eisdem, quod et si non sufficienter ad defendendum & ad componendum transumperint ad terminum supradictum, nos nihilominus in negotio ipso quantum suadebit ratio procedemus. Datum Lateran. decimo Kalendas Januarii, Pont. n. anno undecimo. Anno verò 1228. inter Florentinos Ideprandumque lite composita, Gregorius IX. anno primo sui Pontificatus, ad diuturnius pacis stabilimentum, Ecclesiam sanctæ Mariæ in Campo Florentiæ Fesulano Episcopo attribuit, editâ sequenti bullâ, quam tamen etiam Ammiratus Junior afferat ad catalogum Fesulanorum Episcoporum, nos tamen hic scribendam curavimus: (Controversia, quæ inter te, & cives Florentinos suborta fuerat, nostrâ provisione sopitâ, quia vidimus, quod ex cohabitatione Fesulani Episcopi major inter eum, & Commune Florentinum poterat concordia provenire, & major Episcopatus Fesulani securitas, & utilitas procurari, Ecclesiam sanctæ Mariæ de Campo cum pertinentiis suis tibi providimus conferendam. Ut igitur hæc nostra provisio perpetuam obtineat firmitatem, præfata Ecclesiam cum pertinentiis suis de fratrum nostrorum consilio tibi, & successoribus tuis perpetuo jure concedimus liberam, & exemptam, non obstante quod in literis venerab. fratris nostri Episcopi Florentini, & publico instrumento, quibus suum super hoc expressit assensum, nihil de Capituli continebatur assensu, cum nos ejus supplendum duxerimus in hac parte defectum. Nulli ergo omnino hominum liceat hæc nostræ concessionis paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum se noverit incursum. Datum Lateran. 2. id. Januar. Pontif. nostri anno 1.)

^b *Fesulani.*) Fesula per vetusta civitas Italiæ est in Provincia Etruriæ, cujus meminerunt Silii Italici, ibi;

Et sacri interpretis Flaminis Fesula.
Diodorus Siculus lib. 20. cujus initium, & progressum

gressum refert Vghellius tom. 3. Italia sacra, fol. 272. Habet Ecclesiam Cathedralē à primis Ecclesiarū saculis à sancto Romulo constructam eius primo Episcopo.

c *Lite non contestat.*) Contra dicta suprà in cap. 1. ut lite non contest.

d *Banniverat.*) Id est exulaverat, nam bannus accipitur pro exilio, ut probavi in cap. 2. suprà, de purgat. canonic. & in præsentī notavit Cironius.

e *Mille libris.*) Injuria enim gravis æstimatur cum fori Ecclesiastici præscriptio contemnitur,

cap. non placuit 16. questione 7. ibi : Non placuit laicum statuendi in Ecclesia habere aliquam potestatem, cui obsequenti manet necessitas, non auctoritas imperandi. Et quemadmodum curialibus injuria irrogata non ipsos dumtaxat tangit, sed ad Regiæ dignitatis offensam spectat, ut loquitur Fredericus lib. 3. constit. Sicul. tit. 33. cap. 1. Ita & offensa clericorum ad Christum pertinet, ut exprimitur lib. 6. Capitul. cap. 98. ideoque eo casu penam anathematis statuit Synodus Constantinopolitana relata in cap. accusatio 2. quest. 7.

CAPVT VIII.

a Gregorius IX.

In nostra, & fratrum nostrorum præsentia proposuistis, quod cives Brixien. protestationibus damnorum illatorum adinvicem, quæ propter multas civiles discordias incurrerant, plurimum aggravati, statutum editum de non petendo, vel recipiendo in posterum restorationes huiusmodi à Communi generaliter approbarent, & firmarunt etiã juramento. *Et infra:* Cũ igitur aliud sit damnorũ restauratio, quam satisfactio expensarum; & ideo juramento exhibito super damnorum articulo, intelligi non debeat, quod factum expensarum fuerit comprehensum: mandamus quatenus juramento non obstante prædicto) auctoritate nostra provideas, quod dictum Commune pro bono concordie ad expensarum satisfactionem aliquid contribuat, juxta tuæ discretionis arbitrium à te, sicut expedierit, moderandum.

NOTÆ

a **G**regorius IX.) Non exprimitur cui Prælato Pontifex referbat; credi tamen potest referbere Episcopo Brixienfi; de qua diocesi egi in cap. tua de procurat. Decernit autem Gregorius in præsentī, post sedatas dissensiones civiles inter cives Brixienfes, & milites eiusdem civitatis, ut referunt Hostiensis, & Innocentius in præsentī, populum Brixiensem posse repetere expensas, et si juramento promiserit damna illata occasione hu-

jusmodi dissensionum non repetiturum; & magna cum ratione, nam cum juramentum non extendatur ad ea, de quibus actum, vel cogitatum non fuit, cap. Quintavallis, de jurejur. & in propria, & stricta interpretatione appellatione damnorum non veniunt expensæ, l. 3. ff. de damno infecto; ideo et si populus Brixienfis juramentum promississet se non repetiturum damna occasione discordiarum accepta, rectè tamen potest expensas repetere.

CAPVT IX.

a Idem.

Si culpâ tuâ datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem forte tulisti, aut hæc imperitiâ tuâ, sive negligentia evenerunt, jure super his satisfacere te oportet, nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere, vel jacturam. Quod si animalia tua nocuisse proponas, nihilominus ad satisfactionem teneris, nisi ea dando passis damnum, velis liberare te ipsum quod tamen ad liberationem non proficit, si fera animalia, vel quæ consueverunt nocere, fuissent; & quam debueras, non curasti diligentiam adhibere. Sanè licet qui occasionem damni dat, damnum videatur dedisse: fecus est tamen in illo dicendum, qui ut non accideret, de contingentibus nihil omisit.

NOTÆ

NOTÆ.

§ si quis servus, ff. ad leg. Aquil. l. si usufructus, ff. si ex noxali causa, l. servus 16. ff. de interrogat. act. l. itaque 12. §. 1. l. servi 17. §. illud, l. insciando 61. §. 4. ff. de furtis, l. inter 26. §. sed & cum servus, ff. mandati, l. si heredis 48. l. si libertus 110. ff. de legatis 1. l. 19. §. ult. ff. de peculio, cum leg. 16. ff. de peculio legato, junctis Fabro lib. 3. conjēt. cap. 5. Cujacio lib. 12. obser. cap. 9. & ult. l. 1. ff. de public. judic. l. 3. §. 4. ff. nau. ta, caupon. l. Nefennius, §. final. ff. de re judic. l. ex contractibus 49. ff. de O. & A. l. si servus 31. ff. de pignorat. l. 17. §. penult. ff. de usufruct. l. 2. ff. de publican. l. si ambo 10. §. quotiens. l. si debeas, ff. de compens. l. item 20. §. item redē ait, l. illud. 40. §. penult. ff. de petit. heredit. l. 3. ff. de evict. l. 4. §. illud, ff. statu liber. l. 11. ff. locat. juncto Cujacio lib. 22. obser. cap. 4. & lib. 21. cap. 40. l. 1. ff. ne quis cum, l. 2. ff. de eo, per quem factum. l. 1. §. cum servus, ff. de his qui deiecerunt, l. 18. §. ult. ff. de mortis causā donat. l. 1. §. ult. ff. de publican. l. 4. ff. de aleator. l. 4. §. auctioris, ff. de doli except. l. 12. §. ult. cum l. sequenti, ff. de liberali causa, l. si mulier 21. §. 1. ff. rer. amor. l. 17. §. 17. l. 46. & 58. ff. de edilit. edict. l. 3. §. ult. ff. si mensor falsum modum, l. postliminium 19. §. si statu liber, ff. de captivis, l. 1. §. apud servum, ff. depositi, l. 72. §. 5. ff. de solution. l. antiquis 6. §. si servus, ff. quod vi aut clā, l. 6. §. Celsus, ff. de aqua pluvia, l. 13. §. 1. ff. de publican. l. 3. §. 4. ff. de liber. homine, l. 7. ff. quod vi aut clam, l. 8. §. ult. ff. communi dividendo, l. si hominem 69. ff. de solution. l. rem. 21. §. 1. ff. commodati, juncto Cujacio tract. 8. ad Africanum, l. 7. §. hoc edictum, ff. de damno infecto, l. 13. & 14. ff. de interrogat. l. 1. §. interdum, ff. si quadrupes pauperiem.

1. a **Dem.** Gregorius videlicet Nonus, qui præsentem edidit constitutionem motu proprio, ex diversis juris civilis principiis. Et in primis docet circa damnum datum, teneri eum qui culpa sua damnum dedit, jussit dari, consentit, impedit egrit, aut neglexit: quod etiam passim docetur in titulo ff. ad leg. Aquil. Et licet quodlibet damnum datum peculiari lege vindicari possit, veluti Aquilia, de vi publica, & de ficiariis; tamen extra ordinem damnum datum vindicari posse, colligitur ex l. 1. §. 1. l. 9. l. penult. & ult. ff. de incendio, & ruina, l. 3. §. 1. ff. de offic. Praef. vigil. l. 2. ff. arbor. furt. cas. l. aut facta 16. §. evenit, ff. de pœnis. Ut autem damnum datum vindicetur, injuriā factum esse debet, id est vel dolo, vel culpa. Patet etiam tam latè verbum injuriæ, ut & qui culpa levissimā damnum dedit, injuriā dedisse dicatur, leg. in lege 44. ff. ad leg. Aquil. Igitur culpa in præsentem non solum supinam negligentiam designat, quæ prope dolum est; verum & levitia, & imperitia, & infirmitas in culpa ponuntur, si quis affectaverit id, in quo intelligitur vel intelligere debet imperitiam, aut infirmitatem suam esse alii periculofam futuram, l. 5. §. 1. & ult. l. 8. l. 31. ff. ad leg. Aquil. l. illicita 6. §. sicuti, de offic. Praefid. Prosequitur Gregorius casum, in quo quis damnum dedit, non corpore suo, sed per animalia propria: & tunc docet, posse dominum servum, vel quadrupedem, per quem damnum datum est, æstimationem damni solvere, vel noxam dare, hoc est servum, vel animal, quod damnum dedit, juxta legem 1. & per totum titulum ff. de noxalibus. In qua parte observandi sunt textus in l. si servus 27.

TITULUS XXXVII.

De pœnis.

CAPVT I.

Ex Concilio a Toletano.



A qua frequenti prævaricatione iterantur, frequente sententia condemnentur.

NOTÆ.

1. a **Toletano.** Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 1. & apud Burcardum lib. 19. Decreti cap. 158. Carnotens. part. 15. Decreti, cap. 166. & in fragmentis Concilii Toletani incerti, quæ reperiuntur ad calcē Concilii Toletani 1. apud Loaysam; & licet non reperitur textus hic in aliquo ex Conciliis Toletanis

hucusque excusis, ejus tamen sententia in jure certa est; nam licet de eodem delicto non possit quis iterum accusari, postquam fuit semel absolutus, vel condemnatus, ut probavi in cap. de his, de accusat. tamē cum postea novā prævaricatione relapsus est in idem delictum, potest iterum puniri; immo & propter iterationem gravius punitur, ut probavi in cap. ad abolendam, de heret.